DE
M. VELLEJO PATERCULO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

CONRADUS DE OPPEN

BRANDENBURGENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXV.

M. Vellejus Paterculus ex iis, quae a Kritzio non sine veritatis specie conjecta sunt, (prol. II.—IV.) anno undevicesimo ante Christum natus est. Integrum nomen scriptoris conservavit Priscianus VI. 11, Marcum Vellejum Paterculum vocans; a scholiasta ad Luc. IX. 178 Paterculus tantum nominatur. — Capua cum oriundum videri Mommsenius animadvertit, idque ex I. 7 coll. II. 76, I. 16, 1 intelligi. Ubi postquam de Hesiodi aetate disputatum est, haec verba leguntur: „Dum in externis moror, incidi in rem domesticam . . . nam quidam hujus temporis tractu ajunt a Tuscis Capuam Nolamque conditam esse ante annos fere octingentos triginta, quibus equidem adsenserim". Cujus rei tam subito non mentio facta foret, nisi ex II. 76, 1 avum et ex I. 16, 1 atavum Campanos fuisse constaret, unde recte, scriptoris quoque patriam fuisse Campaniam suspicari licet. — Quae praeterea de vita Velleji nota sunt, ea non aliunde quam ex ipsius opere petenda sunt. Mature stipendiis factis Tiberium in Germaniam Pannoniamque secutus iterum a principe honoratus est et anno decimo quinto p. Chr. praetor creatus est. [cf. II. 101, 2 quod spectaculum (a. 754 a. u. c) . . sub initia stipendiorum meorum tribuno militum mihi visere contigit. Quem militiae gradum ante sub patre tuo M. Vinici et P. Silio auspicatus in Thracia, Macedoniaque, mox Achaja Asiaque et omnibus ad Orientem visis provinciis et ore atque utroque maris pontici latere, haud injucunda tot rerum locorum . . . . rei ordatione perfruor. II. 104, 3. Hoc tempus (a. 757) me castrorum Tiberii Caesaris militem fecit. Quippe missus cum eo praefectus equitum in Germaniam successor officii patris mei, per annos octo praefectus coelestissimorum ejus operum spectator et adjutor fui II. 111, 3: habuit in hoc quoque bello (Pannonico a. 759) mediocritas nostra speciosi ministerii locum. Finita equestri militia designatus quaestor . . perduxi exercitum. 114, 2 lectica ejus (Tiberii)

publicata erat, cujus usum cum alii tum ego sensi II. 121, 3 Triumphus (Tiberii a. 765) quem mihi fratrique inter praecipuos praecipuisque donis adornatos comitari contigit II. 124, 4 quo tempore (a. 767) mihi fratrique meo . . destinari praetoribus contigit].

Post praeturam gestam non alio Vellejum munere functum esse, ex silentio scriptoris, quem non sine laetitia quadem de ipsius rebus memorantem videmus, concludendum est; illud tamen verisimile est, eum ab eo tempore, quo Romam rediit, litteris operam dedisse. Primum enim recte docuit Kritzius, neminem, nisi litterarum studiosum intra paucorum mensium spatium tale opus posse conscribere. Deinde litterarum amor elucet ex iis, quae locis nonnullis de egregiis Graecorum et Romanorum scriptoribus disputat (I. 3, I. 5, I. 7, I. 16, I. 17, 18, II. 9, II. 36), tum ex consilio saepius commemorato, operis majoris ambitus conscribendi, id quod lectori non totiens potuisset annunciari, nisi huic rei in argumento tractando occupatus fuisset. cf. II. 48, 5 ubi initiis belli civilis inter Pompejum et Caesarem memoratis: harum praeteritarumque rerum ordo, inquit, cum justis aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur. II. 96, 2 de primo bello Pannonico, II. 99, 3 quum Tiberius Rhodum secederet II. 103, 4 de Tiberii adoptione, II. 114, 4 de secundo bello Pannonico, II. 119, 1 de clade Variana. — Qui loci omnes, quum ad tempora recentiora pertineant, rectissime in hac potissimum rerum Romanorum parte versatum eum esse conjicitur; cujus sententiae hoc non leve accedit argumentum, quod res usque ad bella civilia ab eo tanguntur quodam modo, tum vero majore diligentia atque ubertate explicantur. Quomodo autem factum sit, ut hujus majoris operis nihil ad nos pervenerit neque quicquam grammatici commemoraverint, pro certo affirmari nequit, quamquam Kritzius, morte eum abreptum impeditum esse suspicatur, quominus consilium suum exsequaretur, Sauppius omnino negat, serio eum de componendo isto opere cogitasse. Quod de morte Velleji Dodwellus in annalibus Vellejanis §. 30. constituit, eum propter laudes, quibus Sejanum extulit,

(II. 128) interfectum esse, id propterea veritatis specie caret, quod Sejanus non tamquam Velleji sed Tiberii amicus celebratur, et Vinicius, cui auctor librum dedicavit, postea honore dignus habitus est, qui Juliam, Germanici filiam in matrimonium duceret. (Tac. ann. 6, 15.)

De consilio, quod Vellejus in opere elaborando sibi proposuerit, homines docti dissentiunt. Sunt, qui existiment, jussum eum a Tiberio hunc libellum scripsisse, ita tamen, ut liber gratulalorius esse videretur. Quod si verum esset, prior historiae pars non eam, quam inesse negari nequit, prae se ferret dicendi libertatem. Ita bellum cum Carthaginiensibus tertium non ex iis ortum esse dicit, quae falsa de Carthaginiensibus circumferrentur, sed quod delenda Carthago esse videretur. I. 12 2. Servilius reprehenditur, qui fraude, non virtute Viriathum interfecerit II. 1, 3; in duces invehitur, maxime Pompejum, qui propter inscientiam debellare non potuerint, sed ad turpissima foedera a Lusitanis deducti sint. II. 1, 4 notatur senatus, qui Pompejum impunitum dimiserit. Nobilitas vituperatur, quod et injuste et sine utilitatis intelligentia sociis Italicis civitatem negaverit. — Jam vero si negari nequit, in posteriore historiae parte auctoris admirationem in iis, quae ad Caesarem, Octavianum, Tiberium spectant, non solum gradatim crescere, sed eorum etiam turpia facta aut callida oratione tegi, aut pro egregiis venditari: hujus rei nullam causam afferre possumus, nisi quod, cum intellexisset, Caesarem primum antiquum rerum statum ita perdidisse, ut nemo postea eum restituere posset et ipse Tiberii, qui in ejus imperium successit, assecla esset, temporibus jam serviendum et suum de re publica mutandum existimavit judicium. Quod quam vere dictum sit, loco comprobatur, cujus adhuc memorem fuisse video neminem, unde tamen, quam scriptor in republica rationem secutus sit, optime apparet. cf. II. 49, 4. vir antiquus et gravis Pompeji partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris et illa gloriosa, haec terribiliora duceret. — Cur vero Vellejus libellum scripserit, Kritzius (pag. XIX — XXIII) jam ita exposuit, ut illius hac de re sententiam amplecti non dubi-

taverim. Eum enim Vinicio, consulatum inituro anno 31 p. Chr. cujus domestica necessitudine utebatur, (cf. II. 96, 2 ubi avus, III. 101, 3 ubi pater, II. 104, 2 ubi atavus commemoratur) gratulari voluisse, et ipsa inscriptione indicatur, et iis locis, quibus Vinicium vel alloquitur (I. 13, 5, II. 101, 3, II. 113, 1, II. 130, 4) vel tempora ad ejus consulatum constituit (I. 8, 1, I, 12, 6, II. 7, 5, II. 49, 2, II. 65, 2). Qui quum subito consul designatus esset, Vellejo, quia consules mense Julio designabantur, paucorum tantum mensium spatium ad opus perficiendum concessum erat, unde saepius de festinatione queritur, qua multa omittere cogatur, cf. I. 16, 1 intellego, mihi in hac tam praecipiti festinatione, quae me rotae pronive verticis ac gurgitis modo nusquam patitur consistere, paene magis necessaria praetereunda quam supervacua amplectenda. II. 41, 1. Secutus est consulatus Caesaris, qui quamlibet festinantem in se morari cogit. II. 108, 2, II. 124, 1, II. 29, 2, II. 52, 3, II. 86, 1. —

De fontibus, quibus Vellejus usus sit, non multa adhuc erui potuerunt. Ipse enim neminem nisi Minatium Magium Aeculanensem II. 16, 2, Hortensium, annalium scriptorem II. 16, 3 M. Catonem I. 7, 3 nominat atque in iis rebus, quibus interfuit, enarrandis, semet ipsum testem atque spectatorem adhibet (cf. II. 101, 2, 104, 3, 4, 106, 1, 107, 1, 111, 2—4, 113, 2, 3, 114, 2, 115, 5, 121, 3). Ciceronem ab eo perlectum esse, patet ex II. 58, 4 et ex iis, quae de Ti. Gracchi seditione narrantur. Illum enim Vellejus dicit propterea a bonis descivisse, quod graviter ferret, foedus Numantinum a Mancino ipso intercedente initum a senatu improbari. Prorsus eodem modo Cicero de Gracchi tumultu judicat (Brut. §. 103). Sallustium quoque et Livium imitatione expressos esse, jam a Ruhnkenio excussum est. Quod tamen Kritzius putat Vellejum Attici scripta ante oculos habuisse, quia, quae de eo Nepos Att. 18, 1, tradit,[1]) eadem in illum cadant, exiguo argumento niti videtur. Nam quomodo quae-

---

[1]) Sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum possimus cognoscere propagines.

cunque externa specie splendent hominumque oculos quodam modo feriunt[2]) a scriptore, etiamsi minime ad rerum tractandarum historiam pertinent, celebrantur: ita ne stemmata quidem ab eo depicta aliunde quam ex nimio ejus rerum externarum amore explicanda sunt. —

Jam eo disputatio perducta est, ut ad argumentum Vellejani operis considerandum perveniamus. Ac primum quidem jam Sauppius pag. 147 — 155 docuit, negligentiae scriptoris tribuendum esse, quod et temporum ordo nonnunquam desideratur, quum res suo loco omissae aliis locis interponantur[3]) nec fontes accurate et diligenter adhibiti sunt. Quo in genere habendum est etiam, quod, ut sagacissime Kritzius excussit (prol. XXXXI. sq.), aera Catoniana et Varroniana confusae sunt. Sed alia est res, qua Velleji historia laborat. Etenim ea, quae magnitudine sua prae caeteris eminent, non ad rem publicam, sed ad singulorum hominum ingenia relata sunt. Quibus solis quum, si a locis nonnullis discedimus[4]) rerum ordinem regi opinari videatur, factum est, ut in moribus principum civitatis describendis magnam adhiberet diligentiam. Qua in re quamquam saepissime optime[5]) versatus est, ut in

---

[2]) Huc pertinent, quae saepissime de se majoribusque disputat: II. 16, 2, 76, 1, 101, 2, 3, 104, 3, 106, 1, 107, 1, 111, 3, 4, 113, 3, 114, 2, 115, 1, 121, 1, 124, 3, 126, 1; II. 10. Notetur Domitiae familiae peculiaris quadam et ut clarissima ita artata numero fecilitas. Septem ante hunc, nobilissimae simplicitatis juvenem, Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem paene omnes pervenerunt insignia. — II. 26, ubi de morte honesta Calpurniae, uxoris Lepidi agitur, II, 88 de Flavio Fimbria, II, 24 de Pontio Telesino, II. 43, de Cornelio Balbo.

[3]) II. 68, 1, II. 62, 2, II. 91, 1, II. 96, 1, II. 116, 2.

[4]) cf. II. 1 ubi causae explicantur, quae effecerint, ut civium mores magis magisque corrumperentur, II, 15, 3 ubi de civitate sociis Italicis danda disputatur.

[5]) minus feliciter res ei cessit in Octaviani meritis explicandis. Tacet enim de ejus liberalitate Suet. cap. 41, de provinciarum aere alieno laborantium levatione Suet. cap. 47, de legibus, quae de maritandis ordinibus sanxerat Suet. cap. 34, de liberalium artium amore cap. 84.

Mummii, L. Aemilii Paulli, Marii descriptione, tamen, ut concedo Windheusero[6]) (pag. 4), illum prudens atque intelligens judicium tulisse de insignibus illis viris, quos libera res publica tulerat, ita imaginem historiae Romanae non sine arte atque ingenio adumbratam esse negaverim. Cujus vitii causam hinc explicandam esse judico, quod et eorum consuetudine utebatur, a quibus res publica administrabatur, et provectiore demum aetate litteris incubuit, ac ne tum quidam, quum Romam rediit, assidue atque strenue utpote aulicis oblectamentis impeditus, sed ita tantum, ut otiosae vitae cursum iis dispungeret et variaret, intentus fuisse putandus est. — Qua re tamen maculam gravissimam contraxit, adulatione, mirum est, quod etiamsi viri docti inde ab anno MDCC, quo editio princeps libri Velleji, codice Murbacensi quinque annis ante invento, in lucem prolata est, consentiunt, Vellejum adulatorem esse,[7]) multi post Morgensternium, qui primus Velleji defensor exstitit,[8]) id egerunt, ut adulationis crimen diluere conarentur. Ut concedam, scriptorem aliqua ex parte excusari posse, et quod ipse Tiberio multa debebat, et pro universa aetatis indole, qua vera loqui scriptoribus periculosum erat, tamen nec cum nonnullis,[9]) adulationem in Vellejum non cadere statuendum est, nec eo audaciae progrediendum, ut Stahrio auctore omnibus fide dignissimis scriptoribus anteponatur. Atque in iis quidem, quae ad Ti-

---

[6]) C. Windheuser, quid de Velleji Paterculi fide in iis locis qui ad Tiberii mores spectant statuendum. Neuss, 1867.

[7]) Krausius prol. ad Vell. pag. 37—47. Sauppius commentatio de Vellejo Paterculo in Museo Turic. a. 1837, vol. I. 2, pag. 133—180. Kritzius proleg. ad Vell. pag. XXIV. sq.

[8]) commentatio critica de fide historica Velleji Paterculi imprimis de adulatione ei objecta 1798.

[9]) cf. J. Vossium de hist. lat. I. 24. Lipsium in praef. pag. VII. seq. ed. Ruhnken. Heinsium ibidem pag. XVIII. sq. Burmannum ibid. pag. XXXI. Ernestium in opuscul. philolog. crit. pag. 91 et in praef. ad Sueton. pag. VI.

berium spectant, jam Paschius[10]) et Windheuserus,[11]) Taciti, Dionis, Suetonii auctoritatem ita servaverunt, ut, si plura adjicerem, ligna quodammodo in silvam ferre viderer. Quapropter nos jam explicemus, quid, reliquis scriptoribus collatis, de fide eorum, quae de Octaviano memoriae tradita sunt, judicandum sit. —

Quae II. 59 de Octaviani pueritia a Vellejo allata sunt, a veritate non discrepant. Patre enim mature mortuo apud vitricum Philippum educatus, Julium Caesarem, qui ipsum magnopere dilexit, in Hispaniam comitatus est bellisque civilibus patratis ad singularem indolem liberalibus disciplinis erudiendam Apolloniam missus est. cf. Suet. 9 approbata etiam morum indole; Dio 45, 1 *μεγάλας ἐπ' αὐτῷ ἐλπίδας ἔχων.* Adulatio vero inest in iis, quibus commotus matris in hereditate adeunda consilium repudiavisse fertur, quum dicat 60, 2 animum coelestem humana consilia sprevisse et cum periculo potius summa quam tuto humilia proposuisse sequi atque maluisse avunculo et Caesari de se quam vitrico matrique credere. Deinde non Antonius (60, 3) sed Octavianus timidus erat, qui ejus gratiam sibi conciliaturus ad adulationem confugit (Dio 45, 25, *τόν τε Ἀντώνιον ἐθεράπευεν, καίτοι καὶ προπηλακιζόμενος ὑπ' ἐκείνου καὶ ἀδικούμενος*) tum vero adoptimates, quibus eum invisum sentiebat, se contulit, et nonnullis hortantibus percussores ei subornavit (Suet. 10). —

Fraude deprensa periculum invicem metuens veteranos quanta potuit largitione contraxit (Suet. 10, Tac. ann. I. 10) et Ciceronis potissimum studio effecit (Dio 45, 16) ut una cum Hirtio et Pansa consulibus designatis bellum cum Antonio gerere juberetur. — Jam ab Vellejo soli Octaviano victoria debetur (61, 4) neque quicquam de Hirtii et Pansae meritis commemoratur. Contra Suetonius cap. 10. priore

---

[10]) Zur Kritik der Geschichte des Kaisers Tiberius mit besonderer Berücksichtigung der Lebensbeschreibung desselben von Ad. Stahr, von Prof. Dr. Eduard Pasch, Altenburg 1866.

[11]) quid de Velleji Paterculi fide in iis locis, qui ad Tiberii mores spectant, judicandum sit. Neuss 1867.

proelio eum ait fugisse ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse, sequenti satis constare, non modo ducis, sed etiam militis functum munere atque in media pugna aquilifero legionis graviter saucio aquilam humero subiisse diuque portasse. Dio non solum Octaviani sed etiam Pansae et Hirtii virtutem laudibus effert, tacet vero una cum Vellejo de rumore, cujus mentionem faciunt Tacitus (ann. I. 10) et Suetonius 10, Octaviani opera Pansam veneno interfectum esse. — Quum optimates Octaviani consilium, rerum potiundi perspexissent, Bruto Macedoniam, Cassio Syriam decreverunt, Sextum Pompejumque classi praefecerunt legatosque insuper miserunt, qui clam duce exercitum largitionibus ad defectionem sollicitarent. Qua de re Vellejus quidem 62, 5 haec refert: non tam ingratus fuit exercitus quam senatus, nam cum eam injuriam dissimulando Caesar ferret, negaverunt milites, sine imperatore ulla se audituros esse mandata. Dio vero 46, 37 affirmat, milites pecunia antea corruptos responsum dare vetitos esse. — Quapropter jam optimatium causa relicta societatem cum Lepido et Antonio iniit, qui post cladem Mutinensem suas copias cum Lepidi exercitu conjunxerat, quo facilius (Dio 46, 48) Cassium Brutumque tolleret hisque oppressis ipsum Antonium adoriretur. De hoc triumviratu ita narrat Vellejus, ut non ab Octaviano sed ab Antonio ejus rei consilia profecta esse videantur, cf. 65, 1. Antonius admonebat per litteras Caesarem, quam inimicae ipsi Pompejanae partes forent et in quod jam emersissent fastigium, quibuscum suas vires conjungeret, si ipsius concordiam negligeret. Certum autem est ex App. 2, 96, Octavianum ab Antonio societatem impetrasse. Eodem modo Dio judicat 46, 43. *καὶ πρὸς τὸν Ἀντώνιον καὶ τὸν Λέπιδον ἐπεκηρυκεύσατο λάθρα, εἰς διαλλαγὰς αὐτοὺς προσκαλούμενος*. Deinde non sine adulationis taedio 65, 4 haec leguntur: „consulatum Caesar pridie quam viginti annos implevit, iniit. Ex Dione enim et Suetonio satis notum est, hoc munus ab eo vi arreptum esse, cf. Dio 46, 43 *πέμψας πρὸς τὴν βουλὴν στρατιώτας ὑπατείαν ᾔτει, τῆς δὲ μὴ διδούσης, εἷς τις τῶν στρατιωτῶν ἥψατο τοῦ ξίφους καὶ εἶπεν, ὅτι ἂν ὑμεῖς τὴν*

ὑπατείαν μὴ δῶτε τῷ Καίσαρι, τοῦτο δώσει . . καὶ τέλος ὁ Καῖσαρ δυνάμεις λαβὼν ἐπ' αὐτὴν ὥρμησε τὴν Ῥώμην. cf. Suet. 26. Consulatum vicesimo aetatis anno invasit admotis hostiliter ad urbem legionibus missique, qui sibi nomine exercitus deposcerent; cum quidem cunctante senatu Cornelius Centurio princeps legationis, rejecto sagulo ostendens gladii capulum non dubitasset in curia dicere: Hic faciet, si vos non feceritis. — Cap. II. 66 de proscriptionibus agitur, quibus quamquam primo, ne fierent, reluctatus est Octavianus, tamen, utpote impar duobus collegis, assentiri coactus est. Etiam Dio 47, 7 in his clementia eum usum esse ait (τῇ τε γὰρ φύσει οὐκ ὠμὸς ἦν . . πρὸς δ'ἔτι νέος ὢν καὶ ἄρτι εἰς τὰ πράγματα παριών. Contra Suetonius narrat inceptam proscriptionem eum acerbius quam Antonium et Lepidum exercuisse et quum illi exorabiles interdum fuerint, solum nemini ne tutori quidem suo Toranio pepercisse. — Pugnae Philippenses ita enarrantur, ut Antonii merita silentio praetereantur, Octavii vero in hac pugna magnae partes magis affirmentur quam negentur, cf. II. 70 cornu, cui Brutus praeerat, castra Caesaris cepit; nam ipse Caesar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris maneret). Aliter Suetonius cap. 13. Philippense quoque bellum, quamquam invalidus atque aeger duplici proelio transegit, quorum priore castris exutus vix ad Antonii cornu confugit. Dio 47, 46 ὅτε καὶ Καῖσαρ παραδόξως ἐσώθη, τῶν ἰατρῶντινος ὄναρ αὐτῷ πρὸ τῆς μάχης εἰπόντος, κελεῦον αὐτῷ, ἐκχωρῆσαι τοὐστρατοπέδου. — Deinde non ex aequo Vellejus de Sex. Pompejo judicat. Eum enim non sine ingenio fuisse, illud optimum afferri potest testimonium, quod proscripti ex Brutianis castris aliisque terrarum partibus, qui praesens periculum effugerant, ad ipsum confluxerant nec hoc duce aliquantum temporis Octaviano resistere potuissent, si vera essent, quae II. 72, 5 traduntur. „Quippe nullum habentibus statum quilibet dux erat idoneus, cum fortuna non electionem daret . . II. 73, 1—2 libertorum suorum libertus, servorum servus, speciosis invidus, ut humillimis pareret". Ex eodem partium studio profectum

videtur esse, quod latrocinia ei, quibus maria infestabat, magnopere exprobrantur. — Triumviri autem metuentes, ne annonae caritate Sexti praedationibus coorta, plebis iram in se converterent, ad Misenum cum eo pacem fecerunt, et ea quidem conditione, ut Siciliam Achajam Sardiniamque ei concederent. Tacet Vellejus de Sardinia, quam Menae proditione Octaviano traditam esse ex Dione constat, ita ut hinc et quod, quamquam rogatus Octavianus Menam dedere noluerat, causa petenda videatur, cur mox bellum redintegratum sit, nec ut Vellejus ait, ex inquieto Sexti animo, quo in possessione Siciliae et Achajae non acquieverit. Jam nec de foedere Brundisino, quod subdolae amicitiae confirmandae causa junctum erat, nec de causa, cur Octavianus sororem Antonio in matrimonium dederit, quicquam denudatur, sed haec sola verba apud Vellejum exstant 78, 1. „Hoc tractu temporum Octaviam sororem Caesaris M. Antonius uxorem duxit. — Quod Livia (79, 2) dicitur auspicatis rei publicae ominibus ab Octaviano ducta esse, quae antea Neroni nupta fuerat, id non sine summa offensione legetur, si audiverimus Tacitum affirmantem ann. I. 10 gravidam eam abductam esse et ludibrio pontifices consultos esse, an concepto necdum edito partu rite nuberet cf. etiam Suet. cap. 62, II. 74 de bello Perusino agitur, quo loco magis ira militum quam ducis voluntate saevitum esse dicit, quum Suetonius tradat cap. 15 eum Perusia capta in plurimos animadvertisse, orare vel excusare se conantibus una voce, moriendum esse occurrisse; trecentos electos ad aram Divo Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos. — Octavianus postea, quum contra Pompejum bellum renovaret, Lepidum cum duodecim legionibus acciverat. Quibus commemoratis Vellejus Octaviano lucem allaturus non merita acerbitate Lepidum exagitat. Ut enim negari non possit, Lepidum Octaviano multo inferiorem fuisse, nemo tamen non intelliget, ei quum periclitanti auxilio venisset, non vitio dandum esse, quod parem illi potestatem sibi vindicavit, et, hac non impetrata, ut Sicilia excederet, imperavit. — Tum, II. 80, 3—4 Vellejo auctore, non a Scipione aliisque veteribus Romanorum ducum

quicquam ausum est fortius quam tum a Caesare; quippe inermis et lacernatus ipse praeter nomen nihil trahens castra Lepidi ingressus, milites ipsius fortitudine attonitos sibi conciliavit et ducem sordida veste indutum veniam petere coegit. Haec prorsus aliter a Dione narrantur. Primum enim non inermis, sed nonnullis comitibus (*μετ' ὀλίγων*) specie agendi de pacis conditionibus (*εἰρηνικῶς*) castra introiit; tum frustra conatus exercitum corrumpere, nisi celeriter subsidia apparuissent, interfectus esset. Tum demum toto exercitu reversus (*μετὰ παντὸς στρατοῦ*) effecit, ut Lepidus supplex genibus procumberet et milites ejus ad ipsum transirent. — Interea Antonius bellum cum Parthis infeliciter gessit; quae deinde causae duobus viris belli renovandi fuerint, non satis ex Vellejo elucet. Verum est, Antonium, crescente in dies Cleopatrae amore, patriae bellum inferre constituisse, 82, 4. Sed Octavianus etiam a Sosio consule invitatus Antonium in senatu proditionis accusavit atque ut bellum Cleopatrae indiceretur, impetravit. Dio 50, 2. — Post pugnam deinde Actiacam Caesarem in victos clementem fuisse, minus constare videtur, cf. Dio 51, 2 *τῶν δὲ κορυφαίων τῶν συμπραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημιώσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε καί τινων καὶ ἐφείσατο.* —

His igitur exemplis satis mihi demonstravisse videor, adulationis crimen, cujus Vellejus vulgo accusatus est, dilui non posse, iisque, qui accuratius in Augusti vitam inquirere volunt, Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium adhibendos esse, ut scriptores, qui satis fidi existimandi sint atque res ab illo principe gestas ejusque mores atque naturam ad historiae fidem retulerint. —

Restat, ut de genere dicendi, quo Vellejus usus est disputemus. —

Ac primum quidem negari nequit, hinc illinc jam recentioris aetatis vestigia apparere et poetarum potissimum consuetudinem expressam esse. Ita haec abeo vocabula usurpantur

a. substantiva: dignatio = gloria II. 52, 1, 69, 3, dominium 80, 3, conversatio 102, 3 patratio 98, 2 conservator

66, 3, profectus 16, 3 marcor 119, 2 eloquium 68, 1 confessum II. 85, 5 praecipitium 10, 1, 112, 7 ludicrum I. 1, 8.

b. adjectiva: ineluctabilis II. 57, 1 commendabilis II. 9, 5, favorabilis II. 40, 3 praevalidus II. 69, 1, 108, 1 inimitabilis II. 97, 3 inquies II. 68, 2, inenarrabilis II. 91, 2, —

c. verba: artare I. 16, 2, II. 10, 2 depudere 73, 3 refrigerare 83, 2 innutrire 94, 2 elanguescere 111, 4 exarmare II. 17, 1, 25, 3.

d. adverbia: tergiversanter I. 9, 3 naturaliter I. 17, 6, II. 60, 5, 92, 5 perquam II. 96, 2, 101, 3, 113, 3. —

Etiam in iis, quae ad leges grammaticas pertinent, haud pauca liberiore modo usurpata sunt: verbum simplex pro composito: spargere = dispergere, statuere = constituere I. 12, 2, 14, 1, II. 60, 2, 91, 3, 95, 1, 108, 2. — caedere = occidere II, 4, 4, 12, 5, 47, 1 rumpere = dirumpere II. 110, 1 linquere = relinquere I. 9, 4

a. nomen: singularis pro plurali: miles I. 15, 1, II. 20, 1, 84, 1 hostis, civis II. 28, 3

b. adjectivum pro substantivo: in liquidum perducere, I. 16, 1, ad ultimum II. 48, 5, in paeruptum atque anceps perducere rempublicam II. 2, 3 in praeceps II. 3, 4

c. abstractum pro concreto: vis = juventus II. 110, 1.

d. gradatio: longe pro multo: pecunia longe major sperata II. 45, 1, 6, 1, 51, 3

praepositio usque = usque ad II. 6, 4 circa = ad II. 18, 2, 22, 3, 32, 4, 47, 4 — particula que = etiam II. 25, 4 etiam porticus, quae hodieque celebres sunt; eodem modo II. 27, 3 61, 3 98, 1 I. 4, 3 constructio ad sensum: 1, 16, 4 ut nemo alter ab altero videri nequiverint II. 25, 2: confluentibus optimo quoque II. 95, 1 uterque adgressi II. 66, 1 uterque hostes judicati erant — casuum usus:

a. dativi: mixtus timori pudor II. 5, 2 summa imis miscere II. 2, 3 nulli secundus II. 11, 1 76, 1.

b. accusativi: indutus habitum II. 41, 2 vir cetera sanctissimus II. 46, 1 caput redimitus II. 83, 2 genetivi: acer belli juvenis I. 3, 1 modicus virium I. 12, 4 immodicus gloriae II. 11, 1 medius plurima dissimulantis aliqua inhiben-

tis II. 114, 3 capax operis I. 16, 2 tenax exempli II. 29, 5 27, 3 potens septem legionum II. 66, 1 potitus eorum II. 28, 5 — gratia, cujus augendae Marium de exilio revocavit II. 20, 5 nisi forte ita legendum erit: opus erat partibus auctoritate, cujus augendae gratia Marium revocavit — conjunctivus: quicquid salutare non esset II. 100, 3 ubicunque esset II. 112, 3 infinitivus: contentus erat pater, gentem arcuisse II. 120, 3 — participium pro enunciato relativo: rei tantae parum ad notitiam pertinens interponatur II. 7, 3 = alia res, quae parum ad notitiam pertinet . . eminentia = ea, quae eminent II. 40, 5 solita decerni armis = ea, quae armis decerni solent II. 118, 1 discordiae, conditionibus sanari solitae II. 3, 2.

Ad alliciendos vero aequalium animos, quorum non modo non moribus sed ne auribus quibus prisca simplicitas accommodata erat, plurima oratorum et poetarum ornamenta adhibita esse invenimus. Frequentes sunt tralationes, quae, ut Cicero ait, propter similitudinem animos transferunt ac referunt itaque delectant cf. I. 5, 1 clarissimum illuxit ingenium Homeri I. 16, 4: ingenia Socratico ore defluentia discipuli Socratis) II. 4, 6: Roma caput extulerat, II. 52, 2) effossum alterum lumen rei publicae (interfectus est) idem II. 99, 1 — II. 36, 1 caliginem inducere (superare) II. 68. 1 umbram actae rei capere (oblivionem pati) — II. 41, 1, 88, 1 87, 1 scribenti manum injicere — castris exuere I. 9, 4 II. 12, 2 II. 37, 2 — bellum sepelire II. 75, 1 82, 1 129, 5 armorum furorum sopire II. 29, 2 juvenes orientes = pubescentes II. 99, 2 numerus in tantum adulevit II. 30, 6. Dalmatia viribus adulta II. 110, 3 hoc tractu temporum I. 6, 4 15, 3 II. 10, 2 78, 1 — aevum temporum claustris circumdatum I. 17, 4 ad bellum instinguere I. 12, 1 adstruere = adnumerare I, 17, 3 incendium = amor II. 82, 2 130, 4 lux = vita II. 66, 4 candor = probitas II. 116, 5. — Sequitur aliarum quae orationis adornandae causa frequentatae sunt, figurarum enumeratio:

a. paronomasia I, 5, 2 omnibus sensibus orbus II. 48, 1 iis qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant,

adsentabatur, iis, qui ab ipso quoque, adversabatur. II. 106, 2 Longobardi, gens etiam germana feritate ferocior II. 59, 3 eodem vectum vehiculo II. 125, 1: profunda confundendi omnia cupiditate.

b. anaphora: II. 89, 2: nihil optare a diis homines, nihil dii hominibus praestare possunt, nihil voto concipi nihil felicitate consummari. cf. etiam II. 27, 5 II. 84, 2 II. 110, 4 II. 125, 1.

c. chiasmus II. 53, 3 ut cui ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam; pari modo II. 26, 4 II. 60, 2 89, 2 117, 2 I. 10, 2.

d. oxymoron: II. 105, 2 liberaliter et laute aliqua re abuti.

e. asyndeton: I. 7, 4 tam mature tantam urbem crevisse floruisse, concidisse, resurrexisse; cf. deinde I, 11, 6, 7 I. 17, 4 II. 1, 1 2, 2 11, 1 13, 1 18, 1 18, 5 19, 2 24, 4 25, 1 29, 3 33, 1 34, 3 41, 1 45, 1 48, 1, 3 52, 5 59, 2 60, 2 61, 1 67, 2 72, 1 75, 2, 3 79, 1 84, 3 85, 3 89, 3, 4 91, 3 92, 2 94, 2 100, 4 101, 4 105, 2 106, 1 107, 1 110, 6 112, 5 115, 3 118, 2 119, 2 120, 1.

f. synecdoche: II. 18, 1 Mithridates in Romanos odio Hannibal erat II. 34, 4: Lucullum haud infacete Magnus Pompejus Xerxem togatum vocare assueverat. —

g. pleonasmus 1. verborum singulorum et locutionum: I. 16, 3. Una aetas illustravit priscam illam et veterem comoediam II. 46, 2 nec modum norat nec capiebat terminum II. 116, 5 justus sine mendacio candor II. 54, 4: Caesar ad erudiendam liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis Apolloniam in studia miserat. II. 92. 2. Sentius cum alia prisca severitate summaque constantia vetere consulum more gessisset. II. 130, 2: Quanta cum quiete hominum supplementum sine trepidatione delectus providet. II. 102, 1. Perfida ac plena subdoli ac versuti animi consilia II. 37, 5 aliae provinciae tum primum in populi Romani potestatem redactae ut Syria, quae tum primum facta est stipendiaria. 2. sententiarum: I. 13, 1 Semper inter arma ac studia versatus aut corpus periculis aut animum

disciplinis exercuit — neque quisquam elegantius intervalla negotiorum dispunxit, semperque aut belli aut pacis serviit artibus. — II. 22, 5 Postea id quoque accessit, ut saevitiae causam avaritia praeberet et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur, et qui fuisset locuples, fieret inde nocens, sui quisque periculi merces foret neque quicquam videretur turpe, quod esset quaestuosum. II. 33. 3 Pompejus in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus, ut qui eos libentissime iniret, ita finiret aequo animo, et quos cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. cf. reliquos locos Kritzii opera collectos (prol. LVII. sq). —

Magnum Velleji est hyperbolarum studium, quarum usu cum alia tum eorum laus, quos admiratur eorumque vituperatio, quos aspernatur, non sine veritatis periculo exaggerantur. Huc pertinent locutiones hujus modi: Homerus, qui solus poeta appellari meruit I. 5, 3 Aemilium Paulum in tantum laudandum, in quantum virtus intelligi potest I. 9, 3 tantis ornatus virtutibus, quantas mortalis conditio recipit II. 2, 1. Cato homo Virtuti simillimus II. 35, 2 Pompejus per omnia fortunam hominis egressus II. 40, 2. Antistius in tantum bonus, in quantum humana simplicitas intelligi potest II. 43, 4. Circa Alesiam tantae res gestae, quantas audere vix hominis, perficere paene nullius nisi dei fuerit II. 47, 2. Amissa mater per omnia deis quam hominibus similior femina II. 130, 4. Rutilius non saeculi sui, sed omnis aevi optimus II. 13, 2. — Nihil illa victoria (Pharsalica) mirabilius magnificentius clarius fuit II. 52, 2. — Elucet vero hic hyperbolarum amor etiam ex usu vocabulorum quorundam. Ita usurpantur „praefulgere“ „praenitere“ eodem sensu, quo indicare: causae praefulgent nomine I. 14, 2 II. 39, 2 deflere = non sine maerore enarrare. Nunc summa deflenda est II. 67, 1 119, 1 coelestis pro eximius II. 64, 2 66, 3 94, 2 104, 3 denique ex superlativis nonnullis nimis frequentatis, eminentissimus legitur I. 12, 3 16, 2 II. 17, 3 22, 2 43, 3 71, 2 72, 3 75, 2 99, 1 101, 2 121, 3 130, 5 magnificentissimus II. 29 1, 40, 3 56, 1 100, 2 125, 5 fulgentissimus II. 39, 1 64, 3 71, 1. — Aliud ornamentorum aucupium cernitur

in sententiis antithesibusque per totum opus diffusis, ex quibus haud raro, quanti ingenii atque acumenis fuerit Vellejus, cognoscitur, cf. I. 2, 3 quis Codrum non miretur, qui his artibus mortem quaesiverit, quibus ab ignavis vita quaeri solet? I. 9, 6. Quam sit assidua eminentis fortunae comes invidia altissimisque adhaereat . . I. 12, 7 adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat et ne in victis quidem deponitur neque ante invisum esse desinit quam esse desiit I. 17, 6 alit aemulatio ingenia et nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit; matureque, quod summo studio petitum est, adscendit in summum: difficilisque in perfecto mora est: naturaliterque, quod procedere non potest, recedit. II. 3, 3 Non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt; et ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur. II. 10, 1 adeo mature a rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in praecipitia pervenitur, II. 30, 2 adeo familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere et invidiam rerum non ad causam sed ad voluntatem personasque dirigere. II. 31, 4 Raro enim eorum honoribus invidetur, quorum vis non timetur II. 57, 3 sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscunque fortunam mature constituit, consilia corrumpit II. 67, 2 adeo difficilis est hominibus ut cunque conceptae spei mora. II. 102, 3 etenim semper magnae fortunae comes est adulatio. II. 110, 3 Rumpit, interdum moratur proposita hominum fortuna. II. 116, 3 Neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est. — II. 127, 1 Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam suam fortunam usi sunt. II. 91, 4 Quippe ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri. —

I. 13, 5 Non tamen puto, dubites, quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior. II. 9, 4 Quo quidem tempore juvenes adhuc Jugurtha et Marius in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. II. 17, 1 Cornelius Sulla, qui neque ad finem victoriae

satis laudari neque post victoriam abunde vituperari potest. II. 18, 1 vir neque silendus neque dicendus sine cura. II. 18, 3 Horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit. II. 19, 4. Cum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium alter alteri possent esse solatio II. 26, 2 et ne quid usquam malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus. II. 33, 3. Nam neque Pompejo quisquam aut alia omnia minus aut gloriam magis concupivit II. 53, 3 in tantum in illo viro a se discordante, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad fortunam. II. 33, 4. Quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer. II. 85, 3. Antonius, qui in desertores saevire debuerat, desertor exercitus sui factus est II. 85, 5 fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. —

Illud quoque, Vellejum a solita verborum collocatione non nunquam recessisse et ea, quae sensu cohaerent, uno vel pluribus interpositis verbis disjunxisse, hoc loco notandum est, quippe quod ornatus afferendi causa, sive poetas imitaturus, sive solo novitatis studio commotus arcessivisse videatur.[12]) cf. II. 34, 2. Ne ab hujus quidem usura gloriae temperavit animum. II. 100, 1. Sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis. II. 111, 3. Partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium II. 14, 3. Hunc finem clarissimus juvenis vitae habuit. II. 57, 1. Laudandum experientia consilium est Pansae. II. 80, 1. Acciverat gerens contra Pompejum bellum ex Africa Caesar Lepidum. I. 13, 4. Mummius maximorum artificum perfectas manibus tabulas in Italiam portanda locavit. I. 18, 1. Una urbs Attica pluribus annis eloquentia quam universa Graecia operibusque floruit. —

---

[12]) Errat haud dubie Kritzius, quum dicat, hunc verborum ordinem familiaris orationis vestigia prodere.

Haec de ornamentis orationis, quae quam late pateant, jam satis explicavisse mihi videor. — Ut tamen prorsus, quale Vellejanum dicendi genus sit, intelligamus, hujus rei etiam ratio habenda erit, quod, ut jam supra monuimus, scriptor noster non eorum more, qui sola scriptorum laude florere volebant, inde a prima juventute ingenium multa legendo scribendoque excoluerat, sed provectiore demum aetate litteris operam dare coeperat. Quapropter non desunt argumenta, quae caruisse illum hac scribendi opportunitate prodant. — Ita periodi majoris ambitus sunt ejusmodi, ut duobus enunciati membris copia adjectivorum, participiorum enunciatorum relativorum, parenthesiumque contineatur. Quae omnes quum a Kritzio (pag. LXI.—LXIV.) jam collectae sint, satis erit, duo exempla ante oculos posuisse. cf. II. 18, 1. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque hora redditis civitatibus litteris in genti cum pollicitatione praemiorum interimi jusserat, quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit, (horum fidem Mytilenaeorum perfidia illuminavit, qui M'. Aquilium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt, quibus libertas in unius Theophanis gratiam postea a Pompejo restituta est) cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullae Asia provincia. II. 41, 1 Caesar nobilissima Juliorum genitus familia et quod inter omnes constat, antiquissima, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus, qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur, cum fuisset C. Mario sanguine conjunctissimus, atque idem Cinnae gener, cujus filiam ut repudiaret, nullo

metu compelli potuit, cum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae dimisisset gratiam, habuissetque fere duodeviginti annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est, magis ministris Sullae adjutoribusque partium quam ipso conquirentibus eum ad necem, mutata veste dissimilemque fortunae suae indutus habitum, nocte elapsus est. —

Porro concinnitas dicendi in his locis desideratur. I. 4, 2 Utriusque urbis eximia in Romanos facit fides eas nobilitate dignissimas pro: utramque urbem fecit fides nobilitate dignissimum. II. 4, 4. Hic, eum interrogante tribuno, respondit pro: hic interrogatus respondit II. 24, 5 de quo vere dici potest, eum ausum esse, pro: qui vere dici potest ausus esse. Ex eodem fonte nonnullorum vocabulorum vel locutionum usus frequentissimus fluxisse videtur. — Hi enim loci praebent „per haec tempora: I. 4, 4 I. 10, 1 II. 9, 2 18, 1 34, 1 47, 1 75, 1 78, 2 81, 2 — quas praediximus vel ut praedictum est habent I. 12, 1 I. 15, 4 II. 12, 2 25, 3 26, 3 39, 2 66, 1 73, 3 82, 3 90, 1 94, 1 125, 5 II. 1, 2 11, 1 29, 1 47, 1 76, 2 98, 1 108, 2 — in fastigium evehi II. 53, 3 56, 3 65, 1 69, 1 116, 3 128, 2 particula quippe, saepissime in parenthesibus inferendis posita legitur: I. 1, 3 11, 2 II. 1, 1 1, 5 2, 1 11, 3 13, 1 15, 2 15, 5 18, 4 20, 1 26, 2 28, 1 35, 5 32, 6 40, 2 40, 3 39, 1 42, 1 43, 1 44, 3 45, 4 48, 1 54, 1, 2 56, 3 62, 3 68, 1 72, 5 74, 1 76, 1 78, 3 79, 1, 5 80, 3 82, 1 83, 1 85, 2 91, 2, 4 96, 1 98, 1 99, 3 103, 1 104, 3 109, 4 115, 4 118, 4 119, 2 121, 3. Huc pertinet denique ejusdem vocabuli intra paucorum versuum spatium repetitio. cf. I. 1. 1. Epeus tempestate distractus . . At rex regum Agamemnon tempestate in Cretam insulam rejectus I. 2, 1. Pelopis progenies Peloponnesi imperium obtinuerat. Duces recuperandi imperii fuere I. 2, 3 Peloponnesii Megaram — condidere. Ea tempestate et Tyria classis Gades condidit. Ab iisdem — Utica condita est II. 16, 3. Cujus de virtutibus Hortensius retulit. Cujus illi pietatis p. R. gratiam retulit II. 37, 5 38, 1 facta est stipendiaria — stipendiaria facta est. 99, 1 brevi interjecto spatio 101, 1 breve intercesserat spatium

66, 1, 2 instauratum Sullani proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caesar aliquem proscribere coactus est, aut ab ullo Cicero proscriptus est; ibid. 2 abscissa vox publica, 3, abscissum caput. — (cf. Kritzius LXVII — LXIX). —

Vita.

Conradus (vulgo Curt) de Oppen IV. ante Nonas anni h. s. XLV. in oppidulo, cui nomen est Reppen, in Provincia Brandenburgia sito natus sum patre Friederico, matre Bertha e gente de François, quorum utrumque colo adhuc vivum. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis instructus duodecim annos natus in quintam classem gymnasii Wittenbergensis, quod tum florebat directore Schmidt traductus sum. Octo annis post vere anni LXVIII. cum testimonio maturitatis dimissus almam Berolinensem adii ibique philologiae studiis quadriennio operam dedi. Tum, postquam in exploratione studiorum ita respondi, ut facultate docendi dignum me praestiterim, magistri munere functus sum ac primum quidem per biennium Potsdampii, tum Barmenae, abhinc tres annos.